



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Fasti Mariani

Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Margarita Poenitens. 22. Februarij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

22. Feb. VITAE SANCTORVM. 103

Vive memor mortis, quò semper vivere possis:

Quidquid adest, transit; quod manet, ecce venit.  
Quam benè providit, qui te malè munde reliquit,  
Mente prius carni, quàm tibi carne mori.

Ex Surio & Baron.

Ei, qui omnia elargitus est, universas opes dato;  
nunquam Dei liberalitatem vinces, quamvis om-  
nium tuarum facultatum jacturam feceris, quam-  
vis te etiam facultatibus adjunxeris; Nam hoc  
quoque ipsum accipere est, Deo aliquid donare. S.  
Nazianzen. Orat. de amor. pauperum.

S. MARGARITA POENITENS.

22. Februarij.

MARGARITAM hanc in Perusino agro inve-  
nimus: nitorem ejus in juvenia Amor tur-  
pis extinxit, restituit deinde D. Francisci discipli-  
na. Viro nobili olim, imò Veneri serviebat. Is do-  
mo quandoque abiit, cane comite. Hæc post dies  
non multos lacinia prehensam MARGARITAM ad  
struem lignorum deduxit, oculis, latratuque ro-  
gare visa, ut ligna amoveret. Amover, Dominum  
agnoscit; sed jam mortis larvam. Enimverò ex-  
horruit, & in alieno vultu suum contemplata, for-  
mam, mundum, & ante omnia vitam priorem la-  
crimis damnat. Et abluerunt hæ brevi latentem  
in cæno MARGARITAM; vitæ rigor velut scalpel-  
lum pulcherrimam reddidit, ut jam prodigijs  
splenderet. Et primò, ne VIRGINIS immemorem  
putes vixisse, id precibus exoravit, ut dolores,  
quos stans illa ponè crucem pertulerat, etiam ipsa  
perferentia. Sensit, & sub horam tertiam inter  
manus multorum collapsa, inde horâ nonâ mo-

E 4

rien. i

tienti Christo commori, nec nisi sub vesperam redire in vitam visa est. Aliàs Crucifixo in hærens multa gemitibus rogabat, cum è cruce Christus

*Quid vis misera? Illa, Nihil aliud præter te Domine. Ignosce MARGARITA, avara nimium es. aut verò dic, poterásne amplius exigere? Ex Ann. Minorum.*

*Ecce qualiter manumittit, quali premio honorat suum diabolus servitutem, ut mors simul & finiat vitam & inchoet pœnam? at qui Christo serviunt, illusâ morte, cum stipendiis sanctitatis perpetuam transferuntur ad vitam. S. Pct. Chryl. serm. 114.*

S. LAZARVS CONF. 23. Februarij.

**P**ictorem pingimus, utinam suis coloribus & tam bonis, quàm bonis ille alios Divos depinxit! LAZARVS est, monachus idem & Apelles, sed sanctior illo altero, ut qui non jam Vencres Cupidinesque (oculorum laqueos) sed VIRGINEM & in VIRGINIS sinu VIRGINEM AMOREM, aliofque cæli indigetes animare penicillo solitus est, eoque studiosius, quòd sub eadē tempora Theophilus Imp. sublata è medio omnia Divorum monumenta vellet, omnibusque pœnis in eos sæviret, qui non conspuerent hæc pedibusque calcarent. Pugnabat ergo contra barbarum furorem doctâ manu LAZARVS, & penicula reparabat, quidquid ferro ille in templis vel deleverat, vel deformarat. Captus igitur & ultimis tormentis excarnificatus in ipso tamen carcere tot trophæa de Theophilo posuit, quot iconas Divorum (plurimæ erant) pinxit. Tunc enim verò excanduit irâ tyrannus, ferroque & ipso candenti patronas Divorum manus eò usque scædum in modum adussit, dum exanime corpus dolori succumberet. Neque  
fic